



SUPREMUM  
SIGNATURAE APOSTOLICAE  
TRIBUNAL

PALAZZO DELLA CANCELLERIA  
00120 CITTÀ DEL VATICANO

**Prot. n. 55803/21 CA  
BUSCODUCEN.**

***Reductionis ecclesiae Sanctae Luciae in usum profanum non sordidum***  
**(D.ni M.J.A. van Mourik et C.G.M. Verhoeckx – Congregatio pro Clericis)**

**DECRETUM**

1. Exc.mus Episcopus Buscoducensis, Rev.mus D.nus G.J.N. De Korte, audito die 14 maii 2020 consilio presbyterali, die 5 iunii 2020 decretum tulit, quo, cum effectu inde a die 1 iulii 2022, ecclesia Sanctae Luciae in usum profanum non sordidum redegit.

Adversus decisionem Exc.mi Episcopi D.ni M.J.A. van Mourik et C.G.M. Verhoeckx, praeses et secretarius Instituti v.d. “*Stichting Loterijfonds Ravenstein*”, tamquam membra paroeciae S. Joannis Baptistae, die 28 iunii 2022 remonstrationem interposuerunt. Ac decreto diei 29 iulii 2020 Exc.mus Episcopus suam decisionem confirmavit. Die 11 augusti 2020, recursum hierarchicum apud Congregationem pro Clericis interposuerunt. Decreto diei 17 iulii 2021, deinde idem Dicasterium recursum, allatis motivis, reiecit.

Cl.mi Recurrentes tamen non acquieverunt et recursum iudicalem penes H.S.T. die 10 augusti 2021 exhibuerunt. Congregatio pro Clericis atvero die 10 augusti 2021 novum decretum reiectionis recursus tulit, quo error materialis in praefato decreto diei 17 iulii 2021 correctus est. Deinde, Cl.mi Recurrentes die 4 octobris 2021 recursum contentiosum-administrativum penes H.S.T. interposuerunt.

2. Res rite discussa est inter Cl.mas partium Patronas et Rev.dum Promotorem Iustitiae deputatum, nunc substitutum.



*Prot. n. 55803/21 CA*

Quibus praehabitis,

## SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

3. Re sedulo examine subiecto in Congressu, die 12 maii 2023 coram infrascripto Em.mo Cardinali Praefecto habito;

4. Praehabito quod circa reductionem ecclesiae in usum profanum non sordidum can. 1222 §2 considerandus est, iuxta quem: “Ubi aliae graves causae suadeant ut aliqua ecclesia ad divinum cultum amplius non adhibeatur, eam Episcopus dioecesanus, audito consilio presbyterali, in usum profanum non sordidum redigere potest, de consensu eorum qui iura in eadem sibi legitime vindicent, et dummodo animarum bonum nullum inde detrimentum capiat”;

Considerato quod iurisprudencia H.S.T. relate ad can. 1222 §2 docet: “Difficultas solvitur aequo perpendendo litteram legis, hinc enim confirmat facultatem Ordinariis locorum reducendi ecclesias ad usum profanum non sordidum; inde usus legitimus facultatis pendet a gravitate causarum ob quas ad reductionem deveniendum est. Causae ergo a lege requiruntur graves, nec gravissimae: excluduntur igitur nugae vel causae quae suapte natura graves haberi nequeunt, dum e contra gravitas causae, etsi apparenter levi innititur fundamento, diversimode aestimari potest si diligenter considerentur circumstantiae vel loci, vel rei oeconomicae vel personarum, quae Ordinario apprime innotescunt: re quidem vera quaestio est facti” (Sententia definitiva, *coram* Agustoni, diei 4 maii 1996, prot. n. 24388/93 CA);

5. Quoad graves causae reductionis ecclesiae S. Luciae in usum profanum non sordidum, Congregatio pro Clericis in impugnato decreto diei 10 augusti 2021 recte confirmavit:

- Statum pastorem et oeconomicum paroeciae S. Ioanni et communitatis ecclesiasticae v.d. *Ravenstein*;
- Statum edificii ecclesiae Sanctae Luciae;



*Prot. n. 55803/21 CA*

6. Considerato insuper quod de usu non sordidus ecclesiae, post reductionem in usum profanum, cavetur;

7. Praehabito quod argumenta ab Exc.mo Episcopo Buscoducensi pro reductione ecclesiae in usum profanum non sordidum introducta, a Congregatione pro Clericis post ponderationem casus ex documentis actorum causae confirmantur. Iamvero Cl.ma Patrona Recurrentium asserit, nec probat, in casu defuisse graves causas, de quibus in can. 1222 §2. Viam ad solvendum dubium pandit principium quo reguntur controversiae contentiosae, etiam administrativa via definiendae, scilicet: “onus probandi incumbit ei qui asserit” (can. 1526 §1);

8. Perspecto quod salus animarum damnum non accipit, considerato quod aliae ecclesiae in paroecia adsunt;

9. Animadverso quod Cl.mi Recurrentes in casu iura in ecclesiam quaesita vindicare nequeunt et deinde eorum consensus haud necessarius erat;

10. Praehabito quod Exc.mus Episcopus Buscoducensis die 14 maii 2020 consilium presbyterale recte audivit et, ante decisionem, proceduram consultationis iuxta can. 50 peregit;

11. His rite expositis, nullum apparet indicium violationis legis nec in procedendo nec in decernendo;

12. Quoad instantiam de suspensione executionis decisionis considerandum est art. 95 §1 *Legis propriae* H.S.T., qui statuit: “Suspensio, vel ex toto vel ex parte, executionis actus impugnati quolibet in causae statu, adductis rationibus, peti potest.” Iuxta communem H.S.T. iurisprudentiam, executionis suspensio ex duobus elementis inter se conexis pendet: necessarium est ut recursus fumo boni iuris gaudeat et damnum adsit irreparabile;

Praetermissis aliis forte animadvertendis;

Viso art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;



Prot. n. 55803/21 CA

decrevit:

**Recursum adversus decretum Congregationis pro Clericis die 10 augusti 2021 latum non esse admittendum et facto non admitti ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Iudicibus, quippe qui manifeste quovis careat fundamento;**

**Ob carentiam illegitimitatis actus impugnati, instantiam suspensionis actus administrativi reiciendam esse et re reici.**

Cautio pro expensis processualibus in arca huius Supremi Tribunalis deposita retineatur. Partes suae quaeque Patronae congruum solvant honorarium.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Collegium Em.morum et Exc.morum Iudicum ad normam art. 84 *Legis propriae*, qua haec Signatura Apostolica regitur.

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae e Sede huius Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis die 12 maii 2023.



*D. Card. Mamberti*

Dominicus Card. MAMBERTI

*Praefectus*

*+ Andreas Ripa*

✠ Andreas RIPA

*Secretarius*

CONCORDAT CUM ORIGINALI  
die 24 maii 2023

Mons. Mano Lote de Oliveira  
Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis  
Moderator Cancellariae